

Jakob Carmon

Jacobi Carmon, Phil. & U. J. D. Pand. Prof. ... Programma Pentecostale, Quo Civibus Academicis Pentecostes Christianæ, Præ Judaica, Eminentiam & Prærogativam pie meditandam sistit, utque ingentibus donis Pentecostalibus digne vivant. hortatur

Rostochii: Typis Joh. Wepplingii, [1722?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004001169>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1722. Pfingsten.

~~A-1256. 173.~~

ff. 1722

JACOBI CARMON,
Phil. & U. J. D. Pand. Prof. Duca. Publ. Ord. Consistorii
Mecklenburg. Consiliarii,

PROGRAMMA PENTECOSTALE,
QUO
CIVIBUS ACADEMICIS
PENTECOSTES CHRISTIANÆ,
PRÆ JUDAICA,
EMINENTIAM & PRÆROGATIVAM
pie meditandam
sistit,

utque ingentibus donis Pentecostalibus
digne vivant.
hortatur.



ROSTOCHII,
Typis Joh. Wepplingii, SEREN. PRINC. & ACAD. Typog.

M-1256 179



Entecosten olim in Veteri Testamento
celebrabant Judæi; celebramus & nos
Christiani Novo in Testamento. Ista
quidem expresso DEi mandato præscri-
pta erat, *Exod. XXIII. 14. sq. Levit. XXIII.
15. sqv.* hæc verò ab Ecclesiasticâ dunta-
xat constitutione originem traxit. Quo-
nam Auctore, quove tempore præcisè

festivitas hæc introducta in Ecclesiam Christianam sit,
certò quidem affirmari non potest, dum testi moniis hac de-
re fide dignis destituti vivimus. Hildebrandus *Lib. Antiqu.
de Dieb. Fest. p. m. 89.* tres equidem de eo sententias adducit:
I. eorum, qui putant, Festum Pentecostes Apostolorum jam
tempore abs Christianis celebrari cœpisse, idque colligunt
ex Act. xx. 16. ubi memoratur, Paulum ex Asia Hierosolymam,
ut ibi Pentecosten ageret, properasse. II. Eorum,
qui sibi persvasere, haud multo post Apostolos è vitâ subla-
tos Festum hoc institutum fuisse, siquidem vetustissimi Pa-
trum, Justinus Martyr, Tertullianus, Origenes, illius feci-
se mentionem deprehenduntur. III. Eorum, qui existi-
mant, Festum Pentecostes circa illa tempora introductum
esse, cum quinquaginta illi dies, qui inter Pascha & quam
hodie Pentecosten dicimus, interjacent, & omnes olim erant
festi, festi esse desierunt. Cui tandem ipse consentit, quæ-
que prioribus illis merito præfertur, majorique probabilita-
te gaudet. Non enim Paulus Pentecostes Christianorum
celebrandæ causa Hierosolymam properare opus habebat,
quam ubique locorum in cœtibus Christianis celebrare po-
tuisset; sed ut in Pentecoste judaica, qua Populus illuc con-
veniebat, Judæos fidem in Christum docendi occasionem
acciperet uberiorem. Patres autem illi per Pentecosten
non tam quinquagesimum à Festo gloriæ resurrectionis
Christi diem, quam totum illud quinquaginta dierum, inde
à Festo

â Festo Paschatos, tempus indigitare intelliguntur; ad imitationem Pentecostes Judaicæ, quam Festum hebdoma dum dicebant, â septem hebdomadibus, inde â die oblati manipuli spicarum, usque ad messem peractam. Interim ex antiquissimis præsens hoc nostrum Festum esse, vel inde probari solet, quod Augustinus ipsum ceteris, quæ toto orbe Christiano aguntur, Festis suo jam tempore connumeravit. Ut verò de tempore sit, quo primitius institutum hoc Festum, id certum tamen firmumque manet, non sine fundamento, nec sine utilitate commodove in Ecclesiam exinde redundante, introductum illud receptumque fuisse. Haud namque dubie, qui primi occasionem ei dedere, opinati sunt, tantundem causæ istius celebrandi Ecclesiam Christianam habere, quantum habuit olim Ecclesia Judaica, ob quod ageret Pentecostes Festum. Quid? quod similis plane fuerit instituti, quod nos celebramus Festi, ac olim Judaici illius. Utrinque enim singularis cujusdam ceterisque, quotquot, post lapsum humani generis, in utriusque Testamenti Codice leguntur, tam ob solennium majestatem, quam argumentorum dignitatem, anteponendæ apparitionis ac revelationis divinæ memoria sistitur recolenda. Ita tamen, ut, quæ Novi Testamenti est, præ eâ, quæ Veteris erat, permultis gaudeat maximisque prærogativis. Judaica namque Pentecostes repetebat memoriam solennis ομοδεσιας divinæ Sinaiticæ; Christiana verò instituta est in recordationem visibilis in Apostolos effusionis Spiritus S. Ista Legem respiciebat; hæc spectat Evangelium. Quantum igitur Legi præferendum est Evangelium, tantum prærogativæ nostra, præ veteri illâ, Pentecostes habet. Ecquis autem nescit, quæ sint Evangelii, præ Lege, prærogativæ? nisi utriusque constitutionem ac indolem prorsus penitusque ignoret. Lex quippe peccata manifestat, Rom. III. 20. VII. 15. hinc iram operatur, Rom. IV. 15. accusat etenim, minatur,

tur, terret, atque condemnat, *Deut. XXVII. 14. squ. Gal. III. 10.*
Evangelium verò concio gratiæ est, magnum annuncians
gaudium, quod omni factum populo, *Luc. II. 10.* est potentia
DEi ad salutem omni credenti, *Rom. I. 16.* Lex omnimodam &
omni numero absolutam postulat obedientiam, neque tamen
vires requisitum sibi obsequium præstandi conferre valet; Ast
Evangelium, quo & regeneramur & renovamur, spirituales
addit vires, licet non Legem implendi, juxta tamen illius præ-
scriptum vitam instituendi, faciens, ut opera nostra, quan-
tumlibet debitâ perfectione carentia, DEo per fidem placeant,
adeo ut nihil nunc sit condemnationis iis, qui in Christo JESU
non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum,
Rom. II. 9. 1. Eccè insignem Evangelii præ Lege prærogati-
vam! & eandem agnoscas Pentecostes esse Novi Testamenti,
præ eâ, quæ Veteris Testamenti fuit. Quam præterea va-
riis etiam modis indicant, quæ utramque concomitatæ sunt,
apparitionum istarum ac revelationum divinarum circum-
stantiæ. Haud facile quenquam arbitror fore, cui non sa-
crum incutiant terrorem, quando solennia *Exod. XIX. &*
Cap. XX. 18. 19. legit, sub quibus Supremus Legis lator Legem
voluit publicatam. Conspiciebatur DEUS descendere
in montem Sinai densâ in nube, & igne. Audiebantur re-
boantia vel ipso auditu terribilia tonitrua. Oculos spectan-
tium perstringebant ignitera fulgura. Vox buccinæ valde
vehemens resonabat. Contremiscebat fumigans mons. Et
populus, ad radicem montis confistere jussus, totus terrore
metuque perfundebatur, ut Mosen alloqui habuerint: *Lo-*
quere tu nobiscum, nam andiemus: non autem loquatur nobiscum
DEus, ne forte moriamur, *Exod. XX. 16.* Nihil hîc, quod non
terrible, horroremque vel meditantibus incutere aptum.
Erant autem hæc, quorum recordationem Judæis afferebat
celebratum in Veteri Testamento Festum Pentecostes. Quod
si autem in nostram, quæ hodie solennis nobis est, oculos
mentis

mentis convertimus, omnia ex adverso comparata deprehendimus, Historiam apparitionis hujus *Act. II.* legentes. Non hic DEus Legislator, sed Spiritus S. Consolator descendit. Nulla hic minarum audiebantur tonitrua; sed blandus, sed suavis Evangelii tonus auribus audientium illabebatur. Non metus mortis spectatores terrebant; sed sancta miraculorum divinorum admiratio animos praesentium occupabat. Non Zelus Sanctissimi Numinis adversus peccata declarabatur; sed remedia peccatorum ostendebantur, monstrata, quâ ad DEum reverti peccatores possint, aeternâ salute fructuvi, viâ. Aurei oris Pater, Chrysostomus *Serm. in Pentec. de Spir. S. Tom. III. Opp. p. m. 366.*, comparationem utriusque, veteris ac novae, Pentecostes instituens, *Adoptionis*, inquit, *Festum fideles celebremus hodie, & Spiritus S. ad spiritus hominum adventum, & societatem.* *Nova enim hodie orbi terrarum annunciantur leges, novum testamentum, nova creatura.* Emittens enim, inquit, spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ, qua olim audivit: *Terra es, & in terram abibis.* Proinde auditor sermonum avide, mente tua recurre ad montem illum, *Sinaum dico, & discere, quomodo olim vetus lex data sit, quomodo item & nunc novum testamentum.* De quo inquit per Prophetam Scripturam: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & testamentum faciam super domum Juda: hoc est, super duos populos, testamentum novum: non sicut testamentum quod statui cum Patribus eorum, quando eduxi eos de terra Aegypti, dans leges in mentem eorum, & in corda eorum inscribam eas.* Quomodo igitur, dic mihi, & quando vetus lex Israëli data est? post liberationem de servitute Aegyptiorum in monte Sinao, propterea etiam nunc novum testamentum in monte Sion redemptis de servitute inimici datur. Illuc cum Moyses in montem ascendisset, lex descendit: hic ubi Christus in celum ascendit, Spiritus sancti lex nobis advenit. Illuc ignis montem implevit, id est & hodie in igneis linguis Spiritus apparuit. Illuc agnitionis divine

)(3) primitia

primitia Israeli declarabantur : hic nunc agnitionis divinae primaria gentibus significantur. Illic linguam, quam non novit, audiret populus : & hodie linguam, quam non novit, loquutus est Apostolorum chorus. Sic igitur utramque comparat, ut nostrae, praeterea Judaicâ, Pentecostes eminentiam & prærogativas haud obscurè extollat. Quid verò multis ? Ipse divino Spiritu agitatus Apostolus hanc utriusque differentiam satis aperte manifestat, ita ut nostræ primas vindicet, 2. Cor. III. 5. - 12. Ex veteri namque resultavit ministerium condemnationis & mortis ; ex novâ est ministerium Spiritus & justitiae. Sic verò jam infert Paulus : si ministerium (Diaconia) mortis in literis, effigiata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non potuerint intueri filii Israëlis in faciem Mosis, propter gloriam faciei ipsius, qua tamen abrogatur : Qui non magis ministerium Spiritus erit in gloria ? Si enim ministerium condemnationis, gloria, multo magis abundat ministerium justitiae in gloria. Memorabilis etiam est, huc omnino spectans & referendus, locus Rom. IIX. 15. cum idem ille Apostolus conversis fidelibus scribit : Non accipistis spiritum servitatis iterum in timorem ; sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba, Pater. Distinguitur hic donum Pentecostale Evangelicum, à propositione pentecostali Judaica. Lex quippe, cuius promulgationis memoriam qvotannis renoyabat Veteris Testamenti Pentecostes, sub servitutis jugum Judæos mittebat, imposito super servicem eorum, quod portare non valebant, (Act. XV. 10.) jugo. Ast Evangelium, cuius solenniorem promulgationem celebrat Pentecostes Christiana, sublato illo oneroso jugo, in veram nos restituit libertatem, Gal. V. 1. Hanc igitur tantâ, praeterea illâ, prærogativâ pollere oportet, quantum dignitatis libertati tribuendum est, praeterea servitute. Non possum, quin de hoc loco adscribam emphatica verba Lutheri in Postill. Eccles. Domin. IIX. post Fest. Trin. Das ist ein trefflicher tröstlicher Text und billig mit gûldenen Buchstaben zu schreiben.

Weil

Well ihr nun den heiligen Geist habt / (will er sagen) durch
den Glauben / und von ihm getrieben werdet / so seyd ihr nun
nicht mehr unter der Knechtschafft / wie ihr unter dem Gesetz
gewest seyd/dass ihr euch fürchten müsst für desselben Schre-
cken und fordern / als wolt euch Gott umb euer Unwürdig-
keit und übrige Schwachheit des Fleisches verdammen und
verstossen / sondern habt den Trost / dass ihr nun durch den
Glauben Göttlicher Gnaden gewiss seyd / und könnet Gott
für euren Vater halten / und als seine Kinder ihn anrufen.
O quanta autem hæc felicitas ! Quæ illa Pentecostes Novi
Testamenti , præ ea , quæ Veteris fuit , eminentia & præ-
rogativa ! Posset equidem ipsa longè pluribus adhuc argu-
mentis demonstrari ; sed admonendi mihi , pro officii ra-
tione , adhuc estis , CIVES ACADEMICI O. O. HONO-
RATISSIMI ! ut hanc Pentecostes Christianorum , præ illâ
Judæorum , prærogativam , recurrente nunc annuâ ejus fe-
stivitate , non solum piè meditemini , sed & omnibus queis
fieri potest , viribus in praxin cum sanctæ vitæ , tum consola-
tionis vestræ deducere studeatis . Recordemini , cujus re-
cordationem pro scopo Festum hoc habet , missionis & ef-
fusionis Spiritus Sancti . Inæstimabile hoc pentecostale do-
num dignè æstimemus , conveniens æque est ac oportet .
Spiritum S. enim dum nobis dedit infinita benignitas DEI ,
quid ulterius boni concipere mens potest , quod non cum
eo ipso desuper impetrare possimus ? Non chartæ tantum
spatium , sed tempus ipsum detecturum eslet , si cuncta quo-
rum ille causa est , vel nominare bona susciperem . Rege-
nerat ille ac renovat nos , Tit. II. 5. Docet nos salutiteram
doctrinam ac omnem in veritatem ducit , Joh. XIV. 26. XVI. 13.
Est Spiritus promissionis , Eph. I. 13. Spiritus adoptionis , te-
stans cum spiritu nostro , quod sumus filii , imò & hæredes
DEI , cohæredes autem Christi , Rom. IIX. 15. 16. 17. Arrabo
hæreditatis nostræ , Eph. I. 14. Quidnî ergo consolationem

in

in eo ac vitam habituri essemus? Immensa proinde sunt, & incomprehensibilia bona, quæ nobis attulit prima Testamen-
ti Novi Pentecostes. Ea verò omnia offert nobis, confert,
obsignat, quod in eâ, gratâ placidâque voce, evulgatum fuit,
Evangelium, miraculoſo variarum linguarum dono Apostolis
concessio. Hæc igitur apprehendamus verâ fide, sic singulis
nobis Spiritus S. futurus est Consolator, & Adyocatus, qui, ut
eum Johanne Damasceno loquar, constanter nobis reis adsit,
nosque anxious & perterrefactos metu judicij divini tueatur,
consoletur atque confirmet; ne vel periculi magnitudine
oppressi, vel doloris acerbitate fracti succumbamus. Sed
& hoc agamus, O CIVES! ut, juxta monitum Paulinum,
Phil. I. 27. dignè conversemur Evangelio Christi, in primâ
Christianorum Pentecoste inter Gentes variis linguis uten-
tes divulgato. Quod cum in naturalibus viribus nostris non
sit, ipsum supplices imploremus Spiritum Sanctum, qui nos
præparet ac confortet in omni bono, ex veteri hymno pre-
cantibus;

Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tua radium.
Veni Pater pauperum, veni Dator munerum, veni lumen cordium!
Consolator optime, dulcis hospes anima, dulce refrigerium!
In labore requies, in astu tempesties, in fletu solarium!
O Lux beatissima! reple cordis intima tuorum fidelium.
Sine tuo Numinе nihil est in homine, nihil est innoxium.
Lava, quod est soridum! Riga, quod est aridum! Sana, quod est saceium!
Eiecte, quod est rigidum! Fove, quod est frigidum! Rege, quod est devium!
Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium!
Da virtutis meritum! Da salutis exitum! Da perenne gaudium!
Sic fiat, imò fiet!

P. P. Fer. I. Pentecostes
Anno M DCCXXII. d. 24. Maii,
sub Sigillo RECTORATUS.

••• X o X •••



Weil ihr nun den heiligen Geist habt / (will er sa
 den Glauben / und von ihm getrieben werdet / so se
 nicht mehr unter der Knechtschaft / wie ihr unter
 gewest seyd/dass ihr euch fürchten müsst für dessel
 ben und fordern / als wolt euch Gott umb euer
 Leid und übrige Schwachheit des Fleisches verda
 verstossen / sondern habt den Trost / dass ihr nur
 Glauben Götlicher Gnaden gewiss seyd / und kön
 für euren Vater halten / und als seine Kinder ih
 O quanta autem hæc felicitas ! Quæ illa Pentec
 Testamenti , præ ea , quæ Veteris fuit , eminent
 rogativa ! Posset equidem ipsa longè pluribus ac
 mentis demonstrari ; sed admonendi mihi , pro
 tione , adhuc estis , CIVES ACADEMICI O. O.
 RATISSIMI ! ut hanc Pentecostes Christianorum
 Judæorum , prærogativam , recurrente nunc anni
 stvitate , non solum piè meditemini , sed & omni
 fieri potest , viribus in praxin cum sanctæ vitæ , tu
 tionis vestræ deducere studeatis . Recordemini
 cordationem pro scopo Festum hoc habet , missi
 fusionis Spiritus Sancti . Inæstimabile hoc pente
 num dignè æstimemus , conveniens æque est a
 Spiritum S. enim dum nobis dedit infinita benignitas
 quid ulterius boni concipere mens potest , quo
 eo ipso desuper impetrare possimus ? Non char
 spatum , sed tempus ipsum defecturum eslet , si cu
 rum ille causa est , vel nominare bona suscipere
 nerat ille ac renovat nos , Tir. III. 5. Docet nos
 doctrinam ac omnem in veritatem dicit , Joh. XIV.
 Est Spiritus promissionis , Eph. I. 13. Spiritus ade
 stans cum spiritu nostro , quod simus filii , imago
 DEI , cohæredes autem Christi , Rom. IIIX. 15. 16. 17
 hæreditatis nostræ , Eph. I. 14. Quidnî ergo con-



Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 0121